

Et Octavios.

<Alter> eius Octavi filius, quem post bellum civile nuper collegam suum L. Cinna victor occidit, alter vero Cn. Octavius M. Octavio patre, qui consulatum cum Scribonio Curione gessit.

Et Catonem et totam Hortensiorum domum. 5

Patrem Catonis significat eius, qui se post civile bellum Uticae interfecit, Hortensios autem Q. Hortensium, qui temporibus M. Tulli, quamvis aetate provector, \*tamen famosior oratoris\* nomen obtinuit. Densitas igitur haec exemplorum, quae ad personas \*nobilitas fertur\*, 10 multum praesenti negotio patrocinatur, ut Archias tot amicis et tam inlustribus nixus perquam facile <ad> honorem civitatis Romanae potuerit pervenire.

§ 8. Hic tu tabulas desideras Heracliensium, quas interisse scimus omnes? 15

Id quod derivat in aliam causam, qua effectum sit, ne exhiberi litterae possent, id est, propter incendium, quod evenerat bello sociali.

§ 9. Gabinii, quamdiu incolumis fuit.

Aulus Gabinus damnatus fuerat de pecuniis repetundis, 20 quod acceptis decem millibus talentum ab rege Ptolemaeo induxisse Romanum exercitum in Aegyptum diceretur.

§ 11. Census nostros requiris.

Etiam hoc argumento deficiebatur Archias; nec poterat is probare cum ceteris civibus Romanis aput praecedentium 25 temporum censores bona sua professum. Et hoc coloratur absentiae adlegatione, quod eum constet illis censoribus Romae non fuisse ac propterea censum non detulisse.